



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Finitis Augustanis comitijs, Protestantes Smalcaldiae conuentus agunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

ab Ecclesia defecit; quo ipso tempore ad Leonem X. Pontificem scribens, vitam ac mortem suam in ipsius manu esse aiebat, Vicarium Dei appellans quem postea Vicarium diaboli dicere non dubitavit. tantum à se ipso iam tum abierat Lutherus: qui quanto diutius vixit, tãto plus à se ipso defecit, euidentis signo recordiã, vbi tanta erat indies mutatio mentis.

DE CONVENTU PROTESTANTIUM Smalcediã habito, & federe ibi percusso: & Concilio à Clemente VII. indicto.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

- I. Finitis Augustanis comitijs, Protestantes Smalcediã conuentus agunt.
- II. Imperator Carolus fratrem Ferdinandum in Romanorum Regem eligi curat.
- III. Clemens Papa legatos ad Protestantes mittit.
- IV. Paulus Papa Concilium indicit & promulgat.
- V. Inter Imperatorem & Gallia Regem pacem facit.
- VI. Lutheri scurrilitas.

**Q**UVM hoc modo Augustana Comitia sine ullo fructu, quam quod vna pars alterius voluntatem explorasset, dolente admodum Cæsare, Luthero e contra, vt qui nihil æque quam schismatis à se facti extinctionem mereret, exultante ac triumphante, exitum habuissent, Cæsar alium Conuentum pro Romanorum Rege eligendo indicit Electoribus Coloniam in 29. Decembris. At Protestantes alium conuentum Smalcediã indixerunt ad 22. Decemb. eod. An. 1530 vt sese ex mente Lutheri contra Cæsarem & Ecclesiam armarent, ac forte de Electione futura deliberarent (a) Sed antequam quid ibi actum sit, explicemus, audiamus quod Lutheri de comitijs illis fuerit iudicium. O infamem, inquit, conuentum! An vnquam ullus infeliciof fuit celebratus? An infeliciof posthac celebrari possit? An non Germaniam totam erubescere par est? Quid Turca dices, si audierit nostrum Imperium hoc modo administrari? Quid Tartari, quid Moscovitæ dicent? Quis porro nos metuat, aut nostri rationem habendam putet, si intelligat Germanos tamquam stultos,

infantes & truncos ita à Papa circumduci & tractari? Satis ego iam vixi, iam Dominum meum Iesum Christum de Papa vlcisci incipio. Quod si in Papali hoc bello interfectus fuero, longam Episcoporum, Sacerdotum & Monachorum turbam post me traham, vt sic cum processione quadam ad sepulchrum ferar. Et ipsi quidem cum omnibus diabolis in abyssum inferni descendunt, ego vero, in brachia Saluatoris meime abdam. Quis hic tibi Pericles? Annon tonare & fulgurare; non Germaniam tantum, sed & totum terrarum orbem permiscere verbis suis videtur? Sed ad rem.

Principes igitur Protestantes, quos diximus, non Reformationis, sed à Luthero prædicatæ Euangelicæ libertatis cupidi, Smalcediã conuentum indixerunt. (vbi iam antea non ipsi modo, sed theologiam, Lutherus, Melancthon, Bucerus, Osiander, & alij non semel conuenerant) non vt de religione concilianda, aut pace stabilienda, sed de libello gerendo clanculum deliberaretur. Lutherus vt & ipse aliquid confertret, librum edidit, in quo omnes hortatur, ne sub Cæsaris, si forte is bellum religioni faciat, signis militent, addita aterni exitij, si id fecerint, comminatione. Neque hoc solum contenti fuerunt protestantes, sed videntes Cæsarem in suo. Coloniam indicto conuentu. Electorali progressum, Saxone solo absente & nequicquam per filium suum Ioannem Fridericum, contra Electionem protestante nihilo secius Ferdinandum Caroli V. fratrem Regem Romanorum esse creatum 5. Ianuarij An. 1531. & Aquisgranum inauguratum, sub finem Martij iterum conuentum Smalcediã celebrarunt. & plures vt se illi fæderi iungerent sollicitarunt (b) Ibidem Protestantes formulam quandam religionis conceperunt, quamuis Sleidanustacitus prætereat. Id quod ex ea Præfatione quam Ioannes Gulielmus Saxonix Dux Corpori doctrinæ à Thuringiã theologis editæ præfixit, vbi sic loquitur: Protestamur, quod post Prophetarum & Apostolorum scripta amplectimur & in magna veneratione habemus Articulos Smalcedicos, à Luthero compositos, quos pater noster, felicitis memoria, Ioannes Eridericus tanti fecit, vt in maximis suis afflictionibus, vix vllò libro quam illo usus sit. &c. Ex hoc eodem conuentu literæ ad plerisque Europæ Principes missæ sunt, quibus illi apud alios se purgant, apud alios vero ad tuendam hanc Dei causam

a Vlenberg Vite Luth. cap. 24. n. 1. ex A. A. ibi citati.  
b Vlenbergius Vit. Luth. cap. 24. num. 1.



sam & reformandam Ecclesiam auxilium implo-  
rant. Huic federi igitur Christianus, qui armis  
Daniae regnum occupaverat, subscripsit. In idem  
receptus fuit Dux Wirtembergicus, contra No-  
rimbergensis conventus decretum. Illi quidem, ut  
regnum suum stabiliret, nulla, expeditior ratio visa  
est, quam si religionem mutaret: quod & fecit Lu-  
therani Prædicantis seu Ministri manibus corona-  
tus Huicverò ob ditiones litigiosas res erat: sed  
mutatio hæc Religionis in Dania integrum sibi ca-  
put postulat. Henricus Angliæ Rex quamvis a Pro-  
testantiū federe diu alienus esset; ad multa tamen  
Pontificis & Cæsaris odio, posthabitâ, quam Deo  
debebat obedientiam, consensit, & res eorum non  
parum promovit ac tandem federi se iunxit. A fe-  
dere tamen exclusi sunt Sacramentarij Zuingliani  
& Helvetij: de quibus Joannes Fridericus ad pa-  
trem, qui tum ægrotus decumbebat, relaturum se  
dicebat. Lutherus postea tam acriter se opposuit,  
ut aditus eis omnino fuerit præclusus.

II. Cæsar uti dictum est quamvis tum in flore  
ætatis adhuc esset constitutus, metuens ne ex mor-  
te sua novæ de successione turbæ nascerentur, de  
fratre Ferdinando in Romanorum Regem eligen-  
do & Imperij successore designando cogitatione  
susceperat. Aiunt quidam Carolum V. videntem  
molem Regnorum distitorum, & quod dum uni  
præfens rebellionem componit, alteri occasio de-  
tur insurgendi, & pacem pessundandi, in eam men-  
tem devenisse; quidam vero aliter interpretantur,  
in hoc magis illud spectasse quomodo Imperij suc-  
cessionem in suæ familiæ linea continuaret & vel-  
ut hæreditariam redderet, quam quomodo reli-  
gionem restauraret, eoque postea in Concilio  
Tridentino Bullam auream corrigere, & in præju-  
diciū Maximiliani II. Philippum filium in re-  
gem Romanorum eligi voluisse: ut videre est ex  
epistola quadam Jacobi Amioti ad Morvillerium  
Gallorum Regis Consiliarium. Sed hoc posterius  
quantam fidem mereatur non satis apparet. Ve-  
runtamen Protestantes ægre tulisse electionem il-  
lam perspicue per Saxonem protestando declaravit.  
Non multo post Cæsar, componendi dissidij reli-  
gionis causa, conventum indicit Spiræ. Eo Saxo  
evocatus, ita se excusavit, ut diceret non modo ad  
professiones inhabilem se esse, verum etiam ubicumque fu-  
turus, non se posse verbi divini doctrinam & prædicatio-  
ne carere; & rem omnino postulare, ut Lutherum eò  
secum adducat, &c. His tergiversationibus effectum  
est, ut conventus ille Ratisbonam, fuerit remissus

ad sequentis Anni 1532 initium. Interea mense  
Junio Anni 1533. Protestantes Francofurti con-  
ventum indixerunt, absente licet Saxone & ægro,  
eam occasionem nactus Albertus Moguntinus ac  
Ludovicus Palatinus Cæsaris nomine, quem ur-  
gebat fama Turcicæ irruptionis, pacis actionem  
Protestantibus obtulere, ad 20. Augusti diem, sed  
ea actio in sequentem annum est protracta, donec  
tandem post conventus Ratisbonæ à Cæsarianis  
& Schvveinitij à Protestantibus habitos, tertia Ju-  
nij Protestantes Norimbergæ convenientes, & de  
pace ob Turcas componenda Conventi, non nisi  
consulto Luthero tandem 23. Julij Anni 1532. pa-  
cem civilem Religionis usque ad Generale Con-  
cilium sanxere, cum Cæsarianis, quam secunda  
Augusti Cæsar ratam habuit. (c) Interea rumor  
de ingenti bellico apparatu (quo Solimanus de  
Lutheri conatibus certior factus, & Christianorū  
dissidijs fretus, immo, ut nonnulli aiunt, ab ipsi  
Protestantibus sollicitatus, Hungariam invadere  
parabat, ob quem Imperator, tantam Christianæ  
reipublicæ tempestatem imminere, & à Protestan-  
tibus nulla alia ratione auxilia impetrari posse vi-  
dens, pacem publicam totius Germaniæ nec cui-  
quā ulla religionis causa, molestia aut vis fiat, donec per  
Conciliū, cuius tum magna erat expectatio, certi aliqui  
esset decretum sanciverat, non vanum fuisse docuit  
eventus irrumptibus in Austriam Turcis. Ira-  
que Imperator tandem Protestantium merulibe-  
ratus, in Austriam proficiscitur, & postis ad Vien-  
nam, quam Solimanus obsederat, castris, effusam  
Turcarum populationem non solum coerceat, sed  
& ditionibus Christianis, cæsis multis millibus fu-  
gavit, quibus domum reversis, Imperator quoque  
exercitum dimittit, non multo post in Italiam  
profectus, ut cum Pontifice, de sanandis tam Reli-  
gionis quam Reipublicæ vulneribus, consilia con-  
ferret. vix pacem illam civilem Religionis Cæsar  
coactus extremis Reipublicæ periculis secunda  
Augusti die confirmaverat, cum Joannes Saxoniæ  
Electo, illius Friderici (qui Lutherum primus  
contra Ecclesiam fovit) frater auctorque Protes-  
tantium ad extrema vocatus, durissimo agone (d)  
16. Augusti est ad Dei Tribunal evocatus, cui filius  
eius Joannes-Fridericus tam in ditionibus, quam  
Protestantium directione successit.

II

III. Cle-

c Vlenberg Vit. Luth. cap. 24. n. 1. Bzovius in Anna-  
libus &c. d Vlenberg. Vit. Luth. c. 24. n. 4. ex Authoribus  
Lutheranis & Surio.